Agitanda die Iouis. 12. Nouembris M. GVILIELMO DE BAILLOV Doctore Medico Præside.

An cuique hominum sua Μοῖρα παραγωγὸν, *suus genius?*

NATVRÆ rerum Parentisvis & maiestas in opere vix creduntur. Non tam quærenda ratio quam vis latens & voluntas Maximè quia omnia ex contrariis architectatur, gignit, auget, medetur. Pax, bellum, inducię; & in maiore Mundo, & in homine qui eius est epitome. Hominis status, sanus, neuter, morbosus, quo Ars Medica definitur. In sano pax est, si non nimis perfectus. In perfecto mora est difficilis, receditur, si non proceditur. Hinc patet periculis. διεξία. In neutro inducię, in morboso bellum. Mirè tamen Natura contrariis gaudet. Et tamen ad vnionem aspirat. Ciuitatem diuersa sors statuit, diuitum, pauperum. Ex contrariis, præeunte temperie moderatrice, substanta & qualitate manentibus fit vnio, Naturæ votum. Hinc homo oritur, nutritur, curatur, occidit. Et ortus ad mortem destinatam via est. Et hæc mors naturalis est, vt est εὐθανασία eorum qui velut per sapientiam moriuntur, ne aut mala sors perseueret, aut bona deserat. In naturali summa fatalis conficitur, quæ licet dura, tamen ex necessitate solatur. Contraria sunt necessaria & dissidium, dolor alioqui nullus, voluptas nulla. Vnio ex mutua actione & passione resultat. Elementum vnum non fuit satis, aut nullus foret dolor: qui licet Naturæ hostis, & quo carere summum sit bonum, est necessarius. Ex vnitis qualitatibus, quinta non surgit princeps. Indiscordia concordia est, per temperiem cuique propriam ἡ εἰμερμένης fautricem: Natura agit per contraria ad vnionem, morbi generatio & extinctio sunt ex contrariis. Et vnionis resolutio corpus in sua initia resoluit.

IN fatali contrarij lege ἡ μοῖρα latet. Mas & fœmina ad opus æternum ni adesset contrarietas belli fomes, iunguntur. Naturæ est velut collegium. Mas est vt quid igneum & agens. hæc vt quid patiens, licet in vtriusque semine mascula sit vis. Mas calidior ocyùs formatur, mouetur. Et ni Natura in mare fabricando sibi temperaret, omnis mas perfectus septimestris prodiret. Vnde & quinquemestris vitalis fortè est. In sole & luna contrarium quid est. Hæc maturat, licet frigida, morbis acutis, præest, quorum maior pars in noctem incidit, An quia noctu proli opera datur? Sic satus & ortus congruit. Sed & corpus & anima origine & fato discordant. Hæc origine cœlestis in cœlum, illud in cœnum redit. Hæc corporis est σύνπελέχεια. Deum sibi χρήτυπον habens. Fœlicior est ἀμόλυντος ὅστε τὸ σῶματος. Corpus est concretum, vitæ & necis consors. Hæc duo nexu destinato vniuntur, quo stante vita stat, eo solo mors. Hanc accersit intemperies, obstructio, vapor pestilens. Donec anima homini precariò data corpori mancipatur, morum insitorum & institutorum fit consors. Compatitur, in opus conspirat. In semine morum est semen, & vis genialis. Hinc ad id, aut ad illud natiua procliuitas studio & ratione moderanda.

ET SI vnio elementorum, maris & fœminæ, corporis & animæ pacem permittit, homo bellum intestinum fouet. Id alunt res naturales, & non naturales. Maximè animi pathemata per quæ homo hominem exuit. Morbos hæc lethales, aut difficiles patiunt. In articulo febrem hecticam corde radicitùs afflicto & affecto creant, id quod tam citò nil aliud facit. Si valida sunt, & cor infirmum, essentiam animæ dissoluunt. Totus homo à Natiuitate morbus est, adeo est lubrica ex contrariis origo: vix concepti, & incloati hominis signa sunt mille matris tædia (tam magno empta breuis voluptas) pica, incubus, spasmus; & puræ mulieres id faciliùs, sentiunt, quàm impuræ. In aliis fœlicior est grauiditas, sed rara, quæ veteres morbos ad partum supprimit, & eos denuò partus exprimit. Certis annis partus funebres sunt: Agrippæ fiunt malo omine, ritu Naturæ homo capite prodit pedibus effertur. Quod hominis auget miseriam est, quod qui calor fuit altor, genitor, medicus, author sit vitę & necis. Qui fuit sospitalis, fit capitalis, qui hospes, dirus fit hostis.

MVNDVS, vt & homo naturali legi fatali paret. Vtrique sui natales, progressus, senectus, vterque vim quaternionum sentit, imò & formidabilem Climictericum. Morbi & habent à Natura fatales leges. Certis sæculis prodeunt, occidunt. Imò quidam videntur eligere certos homines; vt mentagra nobilium pœna fuit. Sæculum pius fuit sanum, mite, fertile, sapiens. Nostrum prudentius, astutius. Nullum fertilius librorum, nullum sterilius virtutum. Omne tempus Clodios fert, non Catones. Medicamentanunc sunt inefficaciora, morbi efficaciores. Seminibus hominum deest ros genuinus priscus, benignus, quo irrigua luxuriabant, viuaciora sunt quibus succus est lentior, corpora maiora, mores & humores benigniores producebant. Nunc corpora minora, animorum versuta prudentia. Ingenij sæpè fraus comes. Seminibus exustio quædam inestquæ vbertatem eorum minuit. Hinc proles nostra morbosa. Hanc autumno vel senio Mûdi inuectam vstionem auget halcymistarum falsa Naturæ simia vafrities: fascinatrix nouorûingeniorû. Illorum puluereproiectionis pecunia proijcitur. Hi sale carentes, salem suum, florem, extracta, Mercurium spem stultorum, & aucupium iactant. Hæc vrunt, mores & humores exacerbant. Hinc corporis tabes pallor crudelitatis sæpe index. Hinc macri magis formidandi quàm obæsi. Hoc sæculum, ferax est hypochondriacorum obstionem, & falsorum Ἐπεργυμένων falsorum (sunt enim & veri) hæc vis & dolus atræ bilis versipellis. Nunquam tam vtile lac asinæ quàm nunc, & aquę naturales, quæ si non æquo reddantur, hydropem, plus æquo hydropem ad matulam accersunt. Suis viribus noua chymicorum commenta superant Lac, & aqua Spadensis, mores temperant, quos sal & vstio acerbant. Mores feros & asininos asinæ lac mulcet, sal, cinis, nitrum fouet, auget.

MIRA est vis ingenita a principiis, quorum non tam certa vnio quin vnum elementum superbiat. Hinc feritas, mansuetudo. Id vel oculus (pars tantula) docet. In eo animus & amor excubant. Cęsiùs cædis, pætus veneris, & leuitatis, rotundus & paruus vulpinæ fraudis est index. Alium Mater sæpè gignit, alium doctrina facit. Ad malum maior propensio, quia prauum ortu facile est. Natorum etiam eadem hora, & geminorum sors varia & mira. Hi consortes satus, vteri, alimenti, lactis, fato, & ingenio discrepant. Ex eodem fonte sunt morbi hæreditarij, medicorum opprobrium, in quos temporis non est præscriptio. Dubium an natura melior mater, an tristior nouerca. Bruta sibi similia pariunt: ex equis generosis, generosi. Ex heroibus & prudentibus stulti sæpè prodeunt. Hominis cogitatio transuolans nouas formas imprimit. Cura, studium, Venus, Martis & heroum comes, semen effœminat. Pertinax, cogitatio occæcat abducto visu. Magna ingenia, vt multum libidinis, ita non nihil habent dementiæ. Plebs, quæ proletaria est, non rarò generosos parit. Ac & in hoc natura nouercatur. Ex semine intemperato non fit homo, ex semine in substantia vitioso Elephanticus exit Ex clatis viris fatuos in dedecus, ex Elephantico Elephanticum, in contagĕ excitat. Saltem si bona & mala æqua lâce dispensaret. Rarò fœlicitas ingenij & robur corporis coeunt. Alius Socrates. Thersites alius. O quæ vis vitiosi capitis? licet paruo capiti prudentia tribuatur. Thersitæ pauci capite, multi vitâ. Alius Democritus, alius Heraclitus. Huic lacrymæ misericordiæ, doloris, gaudij testes. Illi, risus hilaritatis: dolor cogendo, & exprimendo oculorum glandulas, lachrymam mouet, lætitia laxando. In gaudio lacrymæ sunt veræ, in dolore sępè sunt mendaces, vt in muliere, & Crocodilo, sæpè in hærede. Fons humoris lacrymalis vber alicubi latet. Risus motus est ex contractione labiorum quam cerebrum voluptatis cordis particeps congratulando mouet. Risus verus apertum animum notat, falsus, sardonicus proditorem, malignum. Risus sapientum tacitè, non tam se oris sono, quàm internio gaudio prodit. Tanta vis risus & lacrymæ vt in lactante puero, maximè persomni, latentis prudentiæ signum dicat esse Hip. Sic Μοῖραν mirabilem partitæ cuique corporis & animi dotes innatæ, instinctus, ingenium conuenienter principiis, loco, studiis declarant. Vnde & humiles casæ suos habent genios & Lares, & quemque sua sors manet.

Ergo cuique hominum sua Μοῖρα παραγωγὸν *suus genius.*

F.M.P. Montpellier

Asserebat LAZARVS PENA MASSILIENSIS anno 1615.

DOMINI DOCTORES, DISPVTATVRI.

M. Georgius Cornuty.
M. Guillielmus du Val. P.R.
M. Ioannes Akakia.

M. Gaspard Brayer.
M. Nicolaus Henault.
M. Philibertus Guibert.

M. Petrus Collier.
M. Robertus le Sec.
M. Simon le Tellier. M.R.